LIMANA.

Canonizationis B. Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI de Obseruantia.

RESPONSIO

AD ANIMADVERSIONES REV.MI D. FIDEI PROMOTORIS.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.

Diligentissimis Animaduersionibus Reuerendissimi D.Promotoris Fidei contra Validitatem Processus, ac alias præinserti Dubij partes excitatis credimus singillatim, & sufficienter posse responderi.

Primò circa Epistolas Iudicum, ex quo non adimpleuerint formam traditam ex Remissorialibus huius Sacræ Congregationis, per quas demandatur illis, vt significare deberent non solùm generaliter, quæ fides Testibus examinatis adhibenda sit, sed etiam particulariter super his, quæ per eosdem Testes deposita fuerunt, & an in deponendo aliqua viderint, & animaduerterint, per quæ eorum depositio suspecta reddatur, *nostro Summar. Num.2. in fine*.

Verùm litteræ remissoriales in prædictis verbis non inducunt certam formam, quam in his Epistolis responsiuis Iudices seruare teneantur, an nempe omnes insimul, & vnica Epistola id explere deberent, vel potius per litteras separatas; ideoque nostri Iudices pinguiùs impleuerunt eorum munus tam quoad substantiam, quàm quoad modum.

Quoad substantiam, dum omnes vnicam Epistolam *Summar. additionali Num.1.* & deinde singuli alias Epistolas transmiserunt *dicto Num.1. litt.A. & seqq.* Nec id negat Reuerendissimus Dominus meus Promotor; solùm dicit esse contra stylum solitum. Sed quidquid sit de hoc solito, quod nec ex dictis litteris remissorialibus, hoc punctum non tangentibus, nec ex obseruantia in alijs Processibus resultare iustificatur, cùm potius in aliquibus habeatur seruatus stylus, prout in nostro Processu; certum est habuisse Iudices necessitatem id præstandi, quia ex vna parte exoptantes coniunctim exponere Sacræ Congregationi motiuum, sub quo processerunt ad actus Montiliæ confectos absque interuentu Cantoris, vnius ex Iudicibus, non potuerunt explere nisi per communem Epistolam, præseferentem attestatum de eorum communi

muni ſententia *dicto Summar. Addition. Num.* 1. ex alia parte cùm in dicta communi Epiſtola non poſſet rationabilitèr Sac. Congregationi ſignificari, quid quiſque eorum perpenderit in examinum receptione, optimè cogitarunt, quemlibet à ſe factas obſeruationes in ſeparatis litteris proponere, prout præſtiterunt *dicto Num.* 1. *litt. A. & ſeqq.* Aliaque etiam ratio ſubeſſe potuit, nempè quod Vicarius Capitularis non fuit Iudex ab initio Proceſſus, ſed munus aſſumpſit poſt obitum Epiſcopi, vt ipſe fatetur in ſua Epiſtola *dicto Num.* 1. *litt. A.* & ſic de tempore, quo iam erant examinati 16. Teſtes contenti in Proceſſu vſque ad *fol.* 480. vndè in Epiſtola communi ab eodem etiam ſubſcribenda non poterant recenſeri obſeruationes correſpondentes dictis actibus examinum prædictorum 16. Teſtium, quibus non interfuit, & per conſequens poſtulauit neceſſitas, vt quilibet propriam Epiſtolam exararet.

Quo verò ad modum; forma dictarum Remiſſorialium paritèr fuit pleniſſimè adimpleta, & quidem quoad omnia in omnibus dictis Epiſtolis ſiue implicitè, ſiue explicitè.

Explicitè, inquam, dùm in dictis Remiſſorialibus nil aliud circa hoc cautum legitur, & expreſſum, niſi quod Iudices ſignificent generalitèr, primò, quæ fides Teſtibus ſit adhibenda: ſecundò, quid particularitèr ipſi depoſuerint; tertiò, quid obſeruauerint in ipſis Teſtibus in actu depoſitionis, per quod horum depoſitio ſuſpecta reddatur *Summ. Num.* 2. *in fine*. Id autem optimè expleuerunt quilibet ex dictis Iudicibus in propria Epiſtola; nam Archidiaconus vtpotè dignior alijs Iudicibus, qui confectioni Proceſſus interfuerunt ab initio, ſcripſit Epiſtolam antecedentèr ad alios, nempè ſub die 18. Maij 1686. per quam litteralibus verbis iniunctum onus ſe adimpleuiſſe quoad prædicta omnia tria teſtatus eſt *dicto Summ. Additionali Num.* 1. *litt. B.* ibi — *Et cum attendiſſem ad mei muneris obligationem &c. quam EE. VV. Iudicibus imponunt, Sac. Congregationi ſignificandi quod animaduertimus &c. exponere debeo, me recognouiſſe circa Teſtes examinatos quendam eorum timorem, & diligentiam, manifeſtantem ſatis eos proferre veritatem recto modo, ne in pœnas periurij &c. incurrerent &c.* per quod tertio requiſito remanet ſatisfactum; & ſubdens: *ſuper his, quæ dicti Teſtes depoſuere, nihil præter quod dicta depoſitiones continent, VV. EE. addere opus mihi eſt, cùm ex ipſis conſtabit &c.* adimpleuit ſecundum; & proſequens: *Veruntamen EE. VV. obteſtor nullum Teſtium non percunctatum diligentèr fuiſſe de omnibus, & ſingulis, quæ neceſſaria, & magis opportuna viſa fuere, vt ipſorum depoſitio integra prorſus pateſieret &c.* primum paritèr impleuit. Quid enim ampliùs deſiderandũ remanet ad integram paritionem Remiſſorialium in hac parte? Cantor verò in fine Epiſtolæ ſub eadem die concludit per hæc verba: *omnia fide digna Teſtium copia roborata dictis extant in actis dicto Num.* 1. *litt. C.* Idipſum habetur in Epiſtola Magiſtri Scholæ ſub die 21. Maij 1686., de qua *dicto Num.* 1. *litt. D.* ibi — *Et quamuis in reliquis Iudicibus par fuerit deſiderium munus exactè exequendi &c. notum ſit EE. VV. quod attentè inuigilaui, an aliquid notatu dignum inueniſſem, & pro mei muneris adimpletione notitiam tradere coactus fuiſſem, quod &c. minimè adeptus fui, ſed potiùs &c. expertus in multiplici numero Teſtium eſſe magnam, & accenſam deuotionem erga dictum Beatum &c.* Et Vicarius Capitularis in ſua 22. Maij 1686. de qua *dicto Num.* 1. *cit. litt. A.* proteſtatur adimplementum ibi — *ſollicitam curam geſſi tam in depoſitionibus Teſtium, quàm in alijs rebus ad eam ſpectantibus, ad meliorem eius diſpoſitionem, & ad obſeruandum, ſi aliquod*

nota-

notabile inuenire potuissem, quod ad notitiam deduci coactus essem. Verùm &c. semper inueni deuotionem specialem memoriæ dicti Beati &c. Denique Archidiaconus de Castro paritèr expresè profitetur, quod cupidus suæ obligationis implendæ à principio vsque ad vltimum Processus statum sollicitus incessantèr tam obedientiæ præceptorum talis, ac tanti Tribunalis, quàm in obsequium Sanctæ Matris Ecclesiæ: & applicatus ad examen Testium, tam in rei substantia, quàm in vocum accidentibus recognouit mirabilia, quæ authenticis Testimonijs patefacta fuere, præter ea, quæ notoriam, affectuosamque deuotionem præseferunt: subdendo, nihil in contrarium, non obstante cura, & vigilantia adhibita, apparuisse, cuius notitiam Sacræ Congregationi tradere necessarium iudicauerit, per quæ ferè verba se expressit in sua Epistola 23. Maij dicti anni *eodem Num. 1. litt.* E.

Hinc planum fit, qua ratione Iudices coniunctim explicitè non enarrauerint, nec adhibuerint verborum congeriem ad præseferendum demandati muneris adimplementum; Cùm enim ipsi communem Epistolam scripsissent 23. Maij 1686., & sic postquam quilibet suam particularem scripserat, vt ex earum datis dignosci potest *dicto Summar. Additition. Num. 1. litt. A. & seqq.* profectò superuacaneum fuisset, vt in communi Epistola, scripta principalitèr ad prædictum effectum iustificandi motiuum procedendi absque vnius interuentu, denuò refricarentur iam in litteris particularibus luculentèr expressa; superflua enim sunt euitanda *l. 1. §. quibus C. de nou. Cod.* Mandos. *ad regul. Cancell. 8. quæst. 5. num. 4.* Gonzalez *eod. glos. 13. num. 72.* Vltra quod reddit alia ratio supra facta, nempè quod cùm non omnes omnia ponderare potuerint, nec per consequens poterat quilibet cum veritate subscribere dictam Epistolam, quando continuisset aliqua ab eorum altero non obseruata.

Implicitè quoque de omnibus Sacra Congregatio certiorata fuit in Epistola ab omnibus conscripta, per quam testantur, quod -- *exequi cupientes præcepta EE. VV. in suis litteris contenta super confectione processus, cum omni cura debita materiæ tam graui incubuerunt magno cum desiderio, vt vndequaque Processus perfectus euaderet dicto Summar. Addit. Num. 1.* Quæ forma scribendi tacitè, ac implicitè importat non habuisse Iudices quid certiorarent in contrarium, ac per consequens per illam satis expleuisse demandatum munus dicendum est, ex vulgata regula, quod eadem sit vis impliciti, & expliciti, taciti, & expressi, de qua Barbos. *axiom. 218. num. 1. Bich. decis. 31. num. 6.* vbi quod expressum dicitur, quod venit sub generalitate verborum *decis. 638. num. 7.* vbi quod expressum dicitur, quod ab expressis resultat *decis. 77. num. 10. & in Recen. decis. 342. num. 4. par. 19.* Hanc autem perfectionem, quam Iudices per dicta generalia verba testati sunt, prædictus Processus non fuisset assecutus, nisi adhibitis ponderationibus circa ea, quæ Testium dicta, & personas poterant reddere suspecta, & propterea dicendum est, Iudices illas adhibuisse ad Text. *in l. ad rem ff. de Procur. l. Legatis, ff. de alim. legat.*

Sed & etiam iudicialiter approbata fuit idoneitas, & fides Testium, tùm quia in vnaquaque eorum inductione fuerunt à R.P. Francisco Rossellon Procuratore traditæ notulæ dictorum Testium, quæ fuerunt communicatæ Subpromotoribus, vt de qualitatibus ipsorum Testium informationes caperent, ijsque captis responderunt, nihil contra perso-

nas

nas Testium inuenisse *dicto Summ. Addit. num. 2. lit. A.B. & C.* Tum etiam quia præuia dicti Procuratoris instantia, præuioque Iudicum decreto, nec non præuia Subpromotorum diligentia sumendi omnes informationes super eorum qualitatibus, *vt dicto Num. 2.* omnes dicti nostri Testes qualificati fuerunt de bona, & integra fama à 24. Testibus inductis ex officio à Subpromotoribus; vt videre est *dicto Summar. Addit. nu. 3. lit. A. & B.*

Cùm igitur vndequaque constet de idoneitate, & legalitate nostrorum Testium, non videtur quidquam vltra desiderandum.

Secunda obiectio, desumpta ex deficientia alterius ex Iudicibus deputatis in accessu ad Ciuitatem Montiliæ, & in actibus ibi gestis fuit iam ab ipsis cognita, dum specificè de ea loquuntur in communi Epistola *Summar. Addit. num. 1.* Sed existimantes ipsi Iudices valdè congruere, vt huic Sacræ Congregationi innotescerent ea, quæ in Patria Beati, deuotione, & pietate Conciuium gesta fuerant; & versa vice impediebatur accessus ad Ciuitatem Montiliæ ex mala valetudine D. Ferdinandi Arias de Saauedra Cantoris, alterius ex Iudicibus; ideò inter hæc duo minus inconueniens putarunt facere accessum non obstante vnius deficientia, quàm omnium ibi gestorum descriptionem omittere iuxta Text. *in l. quoties cum ibi alleg. ff. de reg. iur.*

At solidissimum fundamentum sustinendi omnia gesta Montiliæ, & non obscurè tactum à Iudicibus in suis litteris, est, quod nostræ Remissoriales fuerunt expeditæ ad effectum probandi Miracula, quæ per intercessionem Beati à Deo patrata sunt post indultam venerationem; Descriptiones verò gestorum in Ciuitate Montiliæ nullum concernunt Miraculum, sed tantummodò ostendunt tributam Venerationem tam in Ecclesia Beato dicata, quàm in Cappella Sancti Laurentij extra Mœnia, ac in eius Cella, seu Cubiculo, nec non in solemnitatibus, quæ fiunt circa fontem Baptismalem, de quo fuit eleuatus idem Beatus, & similibus; ac proindè cum hæc omnia non faciant ad probationem Miraculorum, de quibus quæritur, sed ad simplicem notitiam Sacræ Congregationis, non versamur in terminis rigorosi interuentus omnium Iudicum, maximè quia gesta Montiliæ, siue sint in statu valido, siue non, parum referrent ad nostrum intentum; quod vnicè versatur circa probationem Miraculorum.

Ex prædicta fortè consideratione Subpromotores facillimè, & nulla in contrarium præmissa protestatione huiusmodi Decreto, eiusque executioni adhæserunt, aliàs agnoscentes impossibilitatem accessus dicti Cantoris, dum antecedenter non solum probata fuerat in actis vigens infirmitas eiusdem iter impediens, sed eadem infirmitas præterita, & futura *Proc. fol.* 1830. adeout vel necessaria esset omissio talis descriptionis, vel impetratio subrogationis alterius Iudicis, quam concedere non poterat Reuerendissimus Nuncius Apostolicus, tali iurisdictione carens, sed necessariò recurrendum erat ad hanc Sacram Congregationem longo temporis dispendio, adeout interim expirasset omnium Iudicum delegatio, quo casu posse Iudicem delegatum procedere, ne commissio eludatur, tradunt Bartol. *in l. ad Principem, ff. de appellat.* Salicet. *in l. 1. num. 5. post med.* & Bald. *in l. ex illo C. eodem, Angel. in l. 1. §. quæsitum,* ibique Imol. *num. 8. post med.* asserens hanc esse communem opinionem *ff. pariter eodem* Bobadill. *in politic. lib. 2. cap. 21. num. 206. post medium.*

Ter-

Tertia Animaduersio, quod cùm litteræ remissoriales demandent visitationem Sepulchri, reliquiarum, & memoriarum ad nostrum Beatum spectantium, & in Ciuitate Corduben. existentium, hoc præceptum omninò seruari debuisset, vtique remouetur ex natura rei, dum in dicta Ciuitate nec Sepulchrum, nec memoriæ, minusque reliquiæ reperiuntur, sed hæc omnia sita sunt in Indijs, vbi Beatus in Domino quieuit, & hinc Iudices moti sunt ad describendum ea, quæ aderant in Ciuitate Montiliæ, vt de aliquibus, modo quo fieri poterat, appareret; quod si Cordubæ aliquid visitandum fuisset, vtiquè, sicuti facta fuit diligentia in Ciuitate remotiori Montiliæ, ita fuisset adhibita Cordubæ, vbi conficiebatur Processus.

Coincidit quarta Animaduersio in idem, quod in secunda responsum fuit, dum actus in Ciuitate Montiliæ gesti sunt ex abundanti, & minimè necessarij ad nostrum intentum principale, ideò parum refert oppositio, quod Scribæ, quorum opera ibi vsi sunt Iudices, non exhibuerint eorum priuilegia. Sed adhuc respondemus, quòd cùm isti sint Scribæ Regij, in re adeò notoria potius iniuriosa fuisset petitio exhibitionis eorum tituli, & ideò nedum Iudices, & R. Procurator Causæ, sed etiam ipsi Subpromotores ab huiusmodi instantia exhibitionis abstinuerunt, & meritò, quia notorium non requirit ordinem Abb. *in cap. vestra num.17. de cohabit. Clericor.* Bald. *in cap. ad nostram num.3. de iure iuran.* Mascard. *de probat. concl.1106. num.5.* Farinac. *par.1. quæst.21. à n.80.* Lezan. *consult.7. num.24.* Et nihilominus adhibita fuit attestatio aliorum trium Scribarum, comprobantium prædictos Regios Scribas tales esse, quales se faciunt; nec requiritur, quod isti tres Scribæ iterum ab alijs approbentur, nam hoc modo daretur processus in infinitum, si illi, qui approbant, deberent & ipsi approbari, & legalizari.

Accedit prædictos Scribas approbantes legalitatem nostrorum Scribarum fuisse vocatos à Cursore in vim decreti Iudicum, demandantis in genere, quod vocarentur tres publici Scribæ Ciuitatis, qui de legalitate nostrorum Scribarum testarentur, *d. Summar. Addit. num.4.* ex quo clariùs desumitur prædictos tres Scribas esse verè publicos, & pro talibus à Ciuitate haberi, & ideò tanquam res notoria non indiget alia probatione, ex mox supra congestis. Probata autem commissione Iudicum data Nuncio, siue Cursori de vocando Scribas Ciuitatis, proùt probata remanet *dict. num.4.* credendos esse veros Scribas, quos dictus Cursor vocauit, tenet Glos. *in cap. cum parati verb. Nuncius de appellat.* & relato Tiraquell. *de retract. Lignag. §.8. gl.9. num.13. & sequen.* Mascard. *de probation. concl.189. num.9. vers. declaratur hæc limitatio,* Gail. *obseru.53. num.3. lib.1.* Menoch. *de arbitr. lib.2. cas. 112. num. 1.* sequitur Hect. Æmil. *de Test. pag. mihi 334. num.19.* Et eò magis quando Iudices, proùt in nostro casu, receperunt, & agnouerunt vt tales; in hac enim materia arbitrio Iudicis multùm defertur, vt ponderant Menoch. *ac vbi supra à num.16. & sequen.* Hector Æmil. *pag.336. n.28.*

Respectu deputationis Scriptoris, de qua obijcitur quinto loco, supplicamus animaduertere, quod cum Licentiatus D. Ioannes de Zaldua, tanquam abundè idoneus, probus, & practicus, esset deputatus Notarius ad effectum conficiendi Processum, attamen repertum fuit, quod propter imbecillitatem manus non erat aptus ad scribendum currenti calamo, & per longum tempus Testium depositiones, vt in tam voluminoso Processu necesse erat, quæ imbecillitas conuincitur ab inspectione subscriptionum eiusdem Notarij deputati tam in fine Processus originalis,

nalis, quàm in eius supraſcriptione, nec non in fine Instrumenti consignationis dicti Processus Portitori, exhibitarum Emin. D. Ponenti, & Reu. Promotori, qui EE.VV. attestari dignabuntur.

Et hinc Iudices, quibus satis fuisse iustificatum impedimentum habetur ex actu deputationis Scriptoris pro exemplando Processu, de quo *Proc. fol.1927. & Summ Addit.num.5.* agnoscentes necessitatem, & adhærendo instantiæ Procuratoris Causæ, consentientibus Subpromotoribus, vel saltem non reclamantibus, Scriptorem deputarunt Andream de Pinedo, qui solitum iuramentum præstitit, *Summar. Addit. num. 6.* per quod benè consultum fuit menti Sacræ Congregationis circa secretam descriptionem depositionum Testium, & hic deinde semper scripsit in præsentia ipsius Notarij deputati, quem proinde dicendum est scripsisse brachio sibi à Scriptore commodato, cùm qui per alium fecit per se ipsum fecisse videatur *cap. qui per alium de regul. iur. in 6. l. quod iussu, ff. eod.*

Huic deputationi Scriptoris consonat stylus omnium Notariorum, omniumque Curiarum Orbis, & Vrbis, immo ipsius Sacræ Congregationis, dum Notarij Titulares scribunt calamo suorum Iuuenum, immò stipulantur publica Instrumenta per ipsos Iuuenes nomine Notarij Titularis, licèt ipsi non sint Notarij, nec præstiterint iuramentum fideliter exercendi, vt latissimè docet Rot. *dec.729. n.15. cum plurib. sequen. par.18.tom.2.& dec.95.n.8.& sequen par.19.rec.*

Et hoc etiam vtitur stylo Notarius huius Sacræ Congregationis in efformandis similibus Processibus; & huic stylo non resistunt Remissoriales, dum nihil in contrarium disponunt, immo fauent ex eo, quod permittunt, quod pro transcribendo Processu eligantur Scriptores, qui originales ad proprias domos transferant, vt commodius transcribant priuatè, & absque assistentia alicuius Ministri deputati. Vnde fortius dicendum est permisisse, quod alter coram Iudicibus, Subpromotoribus & ipso Notario Titulari scribere possit, arguendo à maioritate rationis, quod in iure validissimum est argumentum Rot. *dec. 557. n.10. par. 18. tom.2.rec.* Permissio autem adhibendi Scriptorem facta in aliquo casu in litteris remissorialibus intelligi etiam debet repetita in quocumque casu, in quo necessitas eius vsum exposcat, dummodo fiat cum iisdem cauthelis per ipsas præscriptis.

Minus deficit decretum formale clausuræ Processus, de quo obijcitur loco sexto; nam pinguius fuit adimpleta clausura, dum licèt Remissoriales non iniungant formam, nec decretum claudendi, sed tantùm ipsam clausuram exigant *Summar. num.2.* nihilominus Iudices vnico decreto demandarunt huiusmodi clausuram, aliosque actus, & destinationem Portitorum fieri in diuersis, & successiuis audientijs, vt videre est in ipso decreto, de quo in *Summ. Addit. num.7.*& consequenter omnia ad vnguem, imò magis rigorosè peregerunt.

Circa secundam Dubij partem super rituali examine Testium aduertit Reu. D. Promotor, quod octo anteriores Testes non fuerint iuxta 8. interrogatorium interrogati de omnibus circumstantijs. Verùm quia ipsemet pro sua solita ingenuitate agnoscit hunc fuisse merum scrupulum Archidiaconi Corduben., qui in Epistola respõsiua tale dubiũ excitauit, & solidissimis responsionibus ostẽdit omnimodam insubsistentiam difficultatis; ideò consultò prætermittimus alias responsiones excogitare.

Et vnicè insinuamus, quod omnimoda paritio verificatur ex parte Testium, qui totum interrogatorium euacuarunt, quod non controuertitur.

tur. Et quatenus aliqua oriri posset difficultas ob illius non extensionem, ea sublata remaneret ex indubitato stylo, qui etiam in Vrbe seruatur in confectione Processuum, ea tantùm interrogatoria extendendi, quæ fiunt ex officio per Iudices: Istaque praxis forsan continuata fuit ob necessitatem eam seruandi ante nouissima decreta: Cùm enim prius tantùm prouisum fuisset, quod retineretur clausus plicus interrogatoriorum aperiendus in actu examinis Testium, & denuò claudendus eo absoluto, quousque superessent Testes examinandi, elusoria euasisset huiusmodi prouisio, si extensa fuissent interrogatoria, dum tunc temporis apertæ remanebant Testium depositiones in manibus Notarij, ex quarum lectura Testes successiuè examinandi poterant instrui super qualitate interrogatoriorum: Quæ praxis non fuit mutata post nouissimam prouisionem claudendi etiam depositiones, forsan ob vitandam inutilem prolixitatem processus; vel saltem sufficit, quod non fuerit præcisè inducta noua forma pro effugienda nullitate, quæ ex hac omissione desumeretur; ad quam euitandam omnis benignitas ab hoc supremo Tribunali esset adhibenda, vt aduertit Marescott. *var.resol.lib.2.cap.7.in fin.* Rot. *dec.12.n.2.in fin.par.2.diuers.*

Demùm quoad tertiam partem Dubij circa legitimam Iurium compulsationem, omnes Animaduersiones obiectæ circa identitatem Crucis non respiciunt ritum, & ordinem procedendi, ideò remittendæ sunt ad articulum releuantiæ, vbi examinabitur, an sufficienter constet de inuocatione Beati respectu Miraculorum, quæ patrata fuerunt per eiusdem Crucis applicationem; & pro nunc generaliter respondemus non esse necessariò probandum, quomodo ista Crux prouenerit e manu Beati, & quomodo fuerit inuenta, seu peruenta ad manus illius, qui hodiè illam possidet; sed sufficere opinionem, & fidem se Commendantium intercessioni eiusdem Beati, quodque ista Crux sit illa, per cuius contactum Miracula emanauerint.

Prohibitio verò insertionis Attestationum extraiudicialium, de qua in Decretis nouissimis, intelligi debet de attestationibus factis super Miraculis, non autem de illis factis circa identitatem Crucis, in præsenti non necessariam.

Quare &c.

Petrus Paulus Gerardus Sac. Palatij Apost. Causarum Patronus Collegialis.

Reuisa

Andreas Pierius Subpromotor Fidei.

Limana

LIMANA:

Canonizationis B. FRANCISCI Solani Ordinis Minorum S.FRANCISCI de Obseruantia.

SVMMARIVM ADDITIONALE.

EMINENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI.

Num. 1. Epistola responsiua Sac. Congregationi ab omnibus Iudicibus Delegatis subscripta Proc. fol. 1.

SVpplicitèr exequi cupientes præcepta Vestrarum Eminentiarum in suis litteris remissorialibus contenta super formatione Processus Beati Patris Francisci Solani, libenter admisimus nominationem Iudicum factam per Illustrissimum Episcopum tunc Ecclesiam istam regentem iurisdictionem amplectentes, deditique cum omni cura debita materiæ tam graui efformationi Processus magno cum desiderio, vt vndequaque per fectus euaderet. Cùmque conclusus, finitusque reperiatur, eum ante conspectum VV.EE. mittimus, de quorum pietate benignam sentionem confidimus, habentes pro solatio studium nostræ assistentiæ tam in Vrbe ista Cordubensi ad omne, quod in ea circa constructionem Processus actum est, quàm in Ciuitate Montilliana, ad quam Visitationis causa transiuimus. Et licèt ad huius actus determinationem se opposuit difficultas ætatis, malæque valetudinis vnius ex Iudicibus, scilicèt Domini D. Ferdinandi Arias à Saauedra Equitis Alcantarensis, & huius almæ Ecclesiæ Cantoris, qui propter hoc iam per multum tempus ad iter faciendum impeditus est, quod verè omnibus est manifestum; Videndo tamen quod si actus Visitationis omitteretur, defectus notabilis esse poterat, simulque maximum inconueniens, etiamque inuento in aliorum quatuor Iudicum transitũ deficiente vno, vt plenum remaneret Tribunal, inter vnum, & aliud inconueniens, minus reputatũ fuit procedere absque illo ad Visitationem, quandoquidem legitimum est impedimentum prædicti Iudicis, & licèt sit ad notitiam tantùm quatuor Iudices visitationem facere, præcipuè quando solum, & merè reducebatur ad recognitionem facti, & ad videndas res, quæ notabiles in Cappellis ad honorem dicti Beati erectis, reperirentur, non verò ad Testium depositiones admittendas, credendo firmitèr, quod necessitas ista adeo legitima, quam ad notitiam VV. EE. deducimus, eam benignè admittent, simulque omnia alia, quæ parata sunt in constructione Processus, quem reuerenter, humiliterque coram EE.VV. transmittimus, auidè nostrum munus rectè adimpleuisse, mererique multa alia præcepta, quæ in obsequium Sacræ Congregationis seruemus, pariterque VV. EE. quos Dominus Deus custodiat, sicut maiori splendori Ecclesiæ expedit. Cordubæ decimo Kalendas Iunij millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto.

Datum 23. Maij 1686.

Eminentissimarum, & Reuerendissimarum Dominationum
Humillimi, & Deuotissimi Serui.

Io-

Ioseph Diaz de Recalde &c.
Doctor Didacus Banuelos, & Cardenas &c.
Doctor D. Ioannes Merino de la Ranaga &c.
Doctor D. Franciscus del Bano Montanes Vicarius Generalis.
Ferdinandus Arias de Saauedra.

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

A

Particula Epistolæ Vicarij Capitularis. Proc. fol. 2. tergo.

Orbata Ecclesia Cordubensi suo Pastore &c. Tunc vacante Episcopali Sede, Perillustre Capitulum in quo Canonicatu Doctorali fruor, ad munus Generalis Vicarij me reassumpsit, quod iam antea in alia vacante obtinueram. Cùm autem prædictus Processus per Illustrissimum Episcopum cum alijs huius Ecclesię Dignitatibus initiatus in actuali Testium examine remansisset: & alias prudentissimè hoc præuidens Sacra Congregatio prouidentiam tribuit in suo decreto expedito die 24. Martij 1685. annuente Sanctissimo, vt in casu vacantiæ per Vicarium Capitularem cum quatuor Dignitatibus ad prosequutionem talis Processus procederetur. Intimato à Notario dicto Decreto, & per me tanti ponderis discussa materia, paratus ad obedientiam præceptorum Vestrarum Eminentiarum, libenter iurisdictionem admisi, vt in virtute commissionis à prædicto decreto emanatæ formando nouiter Tribunal, Processus iam initiatus ritè, & rectè prosequeretur; sic factum, vt ex eo constat, sollicitam curam gessi tam in depositionibus Testium, quàm in alijs rebus ad eum spectantibus, ob meliorem eius dispositionem, & ad obseruandum, si aliquod notabile inuenire potuissem, quod ad notitiam deduci coactus essem. Verùm enim tam in hac Ciuitate, quàm in Montulliana, quo ad recognitionem Ecclesiarum, & rerum in eis existentium transiui, semper inueni deuotionem specialem memoriæ dicti Beati &c. Cordubæ xj. Kal. Iunij M.DC.LXXXVI. *22. Maij 1686.*

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

Particula Epistolæ Archidiaconi Cordubensis. Proc. fol. 4.

Cùm ego tanquam vnus ex Iudicibus &c. ad constructionem interfuissem Processus causæ Canonizationis Beati Patris Francisci Solani Ordinis Minorum Sancti Francisci, & cum attendissem ad mei muneris obligationem maximo labore, maiorique, qua potui, cura adimplere intendens eam, quam Eminentiæ Vestræ dictis Iudicibus imponunt, Sacræ Congregationi significandi, quod animaduertimus in constructione dicti Processus, Vestris Eminentijs exponere debeo, me recognouisse circa Testes examinatos quendam eorum timorem, & diligentiam in deponendo, manifestantem eos proferre veritatem recto modo, vt concernendo, habebant, ne in pænas periurij, & alias censuras, quibus se subptam habebant, ne in pænas periurij, & alias censuras, quibus se submittebant, incurrerent; secundùm quod Eminentiæ Vestræ eis, quam fidem promerentur, præstabunt super his, quæ dicti Testes deposuere nihil præter quod dd. depositiones continent, VV. EE. addere opus mihi est, cùm ex ipsis constabit de communi ęstimatione virtutum dicti Beati Patris Francisci Solani, & miraculorum quæ Deus operari dignatus est per eiusdem intercessionem post cultum Beatificationis eidem Beato concessum &c. *& fol. 5. tergo.* Veruntamen VV. EE. obtestor, nullum equidem Testium non percunctatum diligenter fuisse de omnibus, & singulis, quæ necessaria, & magis opportuna visa fuere, vt ipsorum depositio integra prorsus pateficeret &c. Cordubæ die 18. Maij 1686. *18 Maij 1686.*

Emi-

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

C

Particula Epistolæ Cantoris dictæ Ecclesiæ. Proc. fol. 8.

Cùm Sanctissimus in Christo Pater &c. Iterato, & frequenti consessui ad audiendos Testes in Cordubensi nostro Arcapago habito semel, & iterum adfui, vbi locupletum, & idoneorum Testium dicta, ac testificationes excepi, comperi multa & in vita, & post mortem per Franciscum Solano haud dubijs Authoribus, vel laudabiliter gesta, vel diuinitus patrata. Vno ore omnes D. Sanctitatem, & Virtutem in suis Sanctis mirabilem extollunt. Dona diuina, ac munera, quibus Solano cumulatus enituit, in lucem proferunt iurati Testes, pars miracula, quæ post mortem Francisci fama pertulit, affirmat; pars gratitudinis, & deuotionis causa eiusdem sanctimoniam commendat. Hi splendidum virtutum omnium agmen pios conatus Sacræ Eminentiarum Vestrarum Congregationis plaudunt, debitam virtutibus gloriam, quam exoptant proclamantes illi, omnia fide digna Testium copia roborata dictis extant in actis &c. Cordubæ 20. Maij 1686.

10. Maij 1686.

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

D

Particula Epistolæ Magistri Scholæ. Proc. fol. 6.

Quædam litteræ &c. Cùmque mense Septembris proximè præterito efformatio prædicti Processus initiaretur, continuata est cura, vigilantiaque, quam materia tanti ponderis, & grauitatis exigit. Et quamuis in reliquis Iudicibus par fuerit desiderium munus exactè exequendi, dicere possum, & debeo, vt notum sit EE. VV. quod attente inuigilaui, an in huius Processus formatione aliquid notatu dignum inuenissem, quod ad effectum Canonizationis obstaret, & pro mei muneris adimpletione notitiam tradere coactus fuissem; Quod enim non solum minimè adeptus fui, sed potius (laudes Deo persoluamus) expertus iam in multiplici numero Testium, qui in hac Vrbe Cordubensi examinati fuere, iam in visitatione, ad quam cum alijs Iudicibus faciendam iter peregi in Ciuitatem Montullianam, in vtraque Vrbe esse magnam, & accensam suorum Ciuium deuotionem erga dictum Beatum Franciscum Solanum ob singularia beneficia, quæ intercessione eius frequenter recipiunt &c. Cordubæ 21. Maij 1686.

21. Maij 1686.

Eminentissimi Reuerendissimique Domini.

E

Particula Epistolæ Archidiaconi de Castro. Proc. fol. 10.

Me &c. in hac Sancta Cordubensi Ecclesia Archidiaconatus de Castro fungente &c. & applicatus ad examen Testium tam in rei substantia, quàm in vocum accidentibus recognoscens mirabilia, quæ authenticis Testimonijs patefient, præter ea, quæ notorietatem, affectuosamque deuotionem explicant &c. Ita certiorem me fecit experientia, & cùm nihil in contrarium curæ, vigilantiæque appareat, notitiam istam tradere Eminentijs Vestris necessarium iudico &c. Cordubæ 23. Maij 1686.

23. Maij 1686.

Num. 2.

Illustrissimo Signore.

A

Exhibitio notulæ Testium per Procuratorē facta ad hoc vt Subpromotores informationem caperent de eorum qualitatibus. Proc. fol. 122. tergo.

Fra Francesco Rossellon Predicatore, Procuratore Generale di tutte le Prouincie del Perù, e speciale del negotio, e causa del Beato Fra Francesco Solano &c. presentò la nomina de' Testimonij, che fin'adesso hò scouerto, e mi sono manifestati per deponere in detta causa, la quale è giurata, sottoscritta, e duplicata, acciò che la detta duplicata si consegni alli Subpromotori Fiscali di questa causa, per loro contraditione, ò informatione &c.

E per

E per la Sua Signoria Illustrissima, e detti Signori Congiudici veduta, l'hebbero per presentata, e la nomina de i Testimonij dichiarata in det- Petitione, e comandarono darne copia alli Subpromotori Fiscali di questa causa &c. E la copia duplicata di detta nomina si consegni à detti Fiscali, acciò s'informino della qualità, & identità di detti Testimonij, & opponghino in detta Vdienza, se sono idonei, ò sospetti dando ragione de i difetti di essi &c.

B
Decretum. Proc. fol. 125. & tergo.

Illustrissimo, e Reuerendissimo Signore.

Li Fiscali del negotio, e causa, che in questo Tribunale si proseguisce sopra la verificatione de' miracoli prouenuti dopo la Beatificatione del Beato Padre Solano. Diciamo, che ci fù data copia dell'instanza fatta dal Reuerendo Padre Procuratore di detta causa &c. & ancorche siano state fatte le informationi, e diligenze necessarie per riconoscere le qualità delli sudetti Testimonij della nomina, per adesso non habbiamo, che dire, mà solamente protestiamo non siano ammessi al giuramento, & esame senza osseruare quello, che de iure si deue osseruare &c.

C
Attestatio Subpromotorum, quòd nihil inuenerint contra eosdem Testes. Proc. fol. 128.

Hoc idem habetur respectu secundæ notulæ fol. 501. ter. 502. & 507. & respectu tertiæ fol. 973. 975. & 978.

Num. 3.
Instantia Procuratoris, vt Testes inducti ex officio deponant super qualitate Testium per ipsum inductorum. Proc. fol. 1505.

Fra Francesco Rossellon Predicatore, e Procurator Generale &c. Dico che &c. conuiene alle mie ragioni che &c. si domandi loro con specialità &c. de nomi, e qualità delli Testimonij, che à mia presentatione sono stati esaminati, acciò dichiarino di chi loro hanno cognitione, e notitia, e se sono persone di buona vita, fama, e costumi &c. per la qual ragione sempre, & adesso gli è stata data, e se gli deue dare intiera fede, e credito &c.

A
Decretum Iudicum Proc. fol. 1502.

E similmente atteso il consenso delli sudetti Fiscali hebbero per ammesse le nuoue interrogationi date dal Reuerendo Padre Procuratore, le quali si facciano à i sudetti Testimonij à suo tempo, e luogo, ritenendo la sudetta nota de i nomi, e qualità di ciascheduno &c.

B
Qualificatio Testiũ inductorum per Procuratorem causa facta à primo Teste inducto ex officio. Proc. fol. 1532. ter.

E similmente in esecutione del domandato, & ordinato gli furono dimostrate, e lette indiuidualmente le trè nomine de' Testimonij presentati, & esaminati in questa causa ad istanza del detto Padre Procuratore, & hauendo vdito i loro nomi, disse, che tutti li contenuti nelle sudette nomine, che principiano dal Padre Maestro Giouanni di Aragon della Compagnia di Giesù, e finiscono in Giouanni Burgueño &c. li conosce indiuidualmente, e ciascheduno per le loro persone, e qualità, e sono persone di buona vita, fama, e costumi, e per tali sono stati, e sono tenuti nella detta Città di Montilla, & in questa di Cordoua da quelli, i quali ne hanno cognitione, & à loro è stata data, e si dà intiera fede, e credito in tutto ciò, che dicono per essere molto approuati in ciò, che dicono, virtuosi, e stima per certo, che in quello habbian deposto, haueran detto la verità, come sogliono; il che sà per la cognitione de' medesimi, tratto, e communicatione, che con la maggior parte di essi hà tenuto, e tiene molto particolare.

Et ita de alijs 23. Testibus inductis ex officio videre est Proc. fol. 1544. tergo 1556. 1566. tergo 1576. tergo 1587. 1600. tergo 1614. 1625. tergo 1638. 1652. 1668. 1697. tergo 1707. 1718. 1727. tergo 1737. 1747. 1756. tergo 1766. 1775. tergo 1785. tergo 1796. 1807. tergo.

Et

Num. 4.
Decretum Iudicum Remissorialium, per quod demandarunt Cursori, vt intimaret tres Scribas Ciuitatis pro authenti candis actis, & Scribis Capitularibus. Pr. f. 1842. in fin.

Et in tanto dal detto Cursore si tenghino preuenuti tre Scriuani di questa Città, accioche legalizino così li detti atti Capitolari, come il detto Bartolomeo Sanchez de Alba, e Diego Valero de Molina in presenza di Sua Signoria col riconoscimento di dette scritture &c. Così lo prouiddero, ordinarono, e lo sottoscrissero, come detto Sottopromotore Fiscale &c.

Quorum attestatio subsequuta fuit prauio eorundem iuramento, vt ex Proc. fol. 1845. tergo.

Num. 5.
Decretum, per quod Iudices approbarunt impedimentum Notarij, & deputarunt Scriptorem pro exemplando Proc. fol. 1927.

Stando in questo Tribunale &c. ammessero le proteste fatte &c. e dissero, che rispetto, che il presente Notaro Attuario per la sua poca salute si scusa di fare la copia, e traslatione del Processo originale, che si è formato, è necessario procedere alla nomina di Scrittore, al quale si gli consegni &c.

Num. 6.
Instantia pro deputatione Scriptoris ad maiorem expeditionem Processus fol. 153.
Decretum deputationis Scriptoris. Proc. fol. 154.

Parimente per quanto per la migliore speditione conuiene, che si nomini Offiziale, che scriua quello, che si comanderà da V.S. Illustrissima in detto esame, e quello dichiareranno li detti Testimonij, supplico ordini eleggere, e nominare soggetto à proposito &c.

Et in quanto &c. nominano, e nominarono per Scrittore delli sudetti esami il Licentiato D. Andrea de Pineda, e Mellado &c. nel quale concorrono le qualità necessarie con conditione, che auanti di cominciare faccia il giuramento &c. *Prout eum effectu iurauit ad formam nouissimorum Decretorum praesentibus Subpromotoribus fol. eodem tergo & seq. tergo.*

Num. 7.
Decretum Iudicum super clausura Processus fol. 2015. ter

Et anco assegnarono la Vdienza del detto dì 24. &c. per il che si citino li Reuerendi Padri Fra Francesco Rossellon, e Fra Antonio Giron Portitori nominati, accioche si trouino in essa à vedere &c. serrare, e sigillare al detto Processo, e fatto con reiteratione del suo giuramento ne faccino riceuuta &c.

Reuisa

Andreas Pierius Subpromotor Fidei.